

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Ante Vitam Philopemenis

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

enim illius erga me humanitas fuit? quæ merita? qui amor erga studia literarum, exercitationesque virtutum? Ille erat unus doctorum hominum Pater, ille Patronus, ille perpetuus fautor atque adjutor. Tu autem, Petre, non solum amplissimi patrimonii legitimus hæres, sed etiam admirabilem virtutum suarum diligentissimus imitator in maximis occupationibus, quas tibi cum publica, tum privata negocia offerunt, nunquam desinis vel augere bonarum artium disciplinas, vel tueri doctos viros, vel iis honoribus, commodis, beneficiis prosequi, quæ ab hominibus expeti solent. Merito igitur qui ingenuas artes profitentur, eniti omni studio debent, nomen ac famam virtutum tuarum perpetuis litteris celebrare, & quantum in eis est, posteris tradere ad imitandum. Maxime enim præter ceteros homines id præstare posse videntur, ut excellentium virorum memoriam præsidio literarum custodiant, quibus nullum præconium majus, nullum monumentum perennius reperitur. Quamobrem hortor omnes, qui facere id possunt, ut tibi benemerenti de optimis studiis viro certatim quisquis officium suum exhibeat: ego autem facultate copiaque dicendi facile aliis cedam, fascisque submittam; voluntate vero & perpetuo studio ornandæ dignitatis tuæ nemo me unquam superior erit. Verum cum nuper quibusdam sermonibus interesset, quos tu cum amicis, ut plerumque soles, jucundissime conferebas, animadverti te ex clarorum hominum memoria non mediocrem voluptatem capere. Itaque me domum recipiens constitui animo duorum præstantissimorum Ducum Scipionis & Hannibalis gesta, quæ ex variis auctoribus tum Græcis, tum Latinis collegeram, præsentis volumine complecti; idque sicut alias lucubrationes meas nomini tuo dicare, ut quando a maximis curis tibi otium superesset, paratum haberes opus, quod ad solatium animi, ad memoriæ dignitatem, & observantiæ meæ testimonium pertineret.



ANTE VITAM PHILOPEMENIS

Guarino Interprete.

HOC tempore, quo Poeta noster diceret, *spumat plenis vindemia labris*, cum in agrum me Pollicelam rei domesticæ munus & diligentia constituissent, omittendum non putavi ut quantum a negotio suffurari me potui, hosce dies a musis inertes perire sinerem. Hujus autem rusticationis rationem tibi reddere institui, [1] Madi vir clarissime, quem & studiorum censorem, & litterarum ornamentum ac lumen nostra Civitas & intuetur, & imitatur. Nam cum juri civili, quod non secus Familiæ vestræ ac Scevolarum quondam generi cognatus est, summa cum integritate, laude, & nominis celebritate invigilasset, historiæ cognitionem & reliquas bonas artes quasi necessarium eruditionis, & bene vivendi cumulum adoptasti;

[1] *Madium* hunc nostrum illum eundem fuisse facile crediderim, de quo Clar. *Mapheus* Veron. Illustr. Lib. III. p. 103. sic habet: „ Di „ *Madio*, o *Maggio*, o *Mazo* de' *Mazj* Giuris- „ consulto, che ornatamente scrivea, fanno men-

„ zione il Biondo e' Guarino “. Vide insuper Lib. eod. pag. 74. „ Nel Veronese ebbe (*Guari- „ no*) una Villa a Castelrotto in Valpolicella „ della quale parla in Lettera al Ch. Giuriscôn- „ sulto Madio, veduta da me in Codice Estense.